



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm XXXIX. Literis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

quibus bene obligatus est, uti notat hęc Abbas antiquus. Quamobrem beneficiorum collatio censetur veluti fructus ecclesiasticę dignitatis ac potestatis. Videri possunt, quę scripsit Azor tom. 2. lib. 6. c. 32. & quę docui in Theol. moral. lib. 4. tr. 2. cap. 10. & 11.

CAPITVLVM XXXIX.

Literis.

PARAPHRASIS.

Si Papa v.g. Gregor. IX. pro Guilielmo clerico scripserit, ut in canonicum recipe-retur, nisi ecclesia ante à se grauata fuis-set simili mandato; hoc casu Guilielmus institui debet ad canonicatum vacaturum, non obstante, quod idem Papa ad eundem collatorem prius literas executo-rias dedit pro alio clerico, qui ab an-tecessore Pontifice monitorias literas im-petrarat. Neque enim obstat, quod Pon-tifex, nisi exprimat, eundem collatorem duobus mandatis grauare non soleat, quia hoc casu Gregorius IX. posterioris tantum mandati auctor est; prius autem ab antecessore Honorio III. originem ac-cepit: quod vt executioni mandetur, ad successoris officium pertinet curare.

SUMMARIVM.

1. Si successor exequatur opus ceptum ab Antecessore, tribuitur id magis Antecessori.
2. Graua expectatiua, seu mandata de pro-uidendo, omnino per Concil. Tridenti-num sublata sunt.

NOTANDVM Vn. Si successor exequatur opus ceptum ab antecessore, tri-buitur id magis antecessori: quia primor-dia cuiusque rei spectari debent.

Sed temporis successu in Roman. Curia eõsuetudo introducta fuit, vt Pontifex Rom. mox post promotionem suam, omnes ante-cessorum gratias expectatiuas seu de prouidendis beneficijs, quę executioni mandatae

non fuerunt, ita vt ius in ijs quęsitum, re-uocaret, prout videre est in e. si is, 39. c. quondam 40. de præb. in 6. & c. vlt. de con-cess. præb. eod. libr. Propterea quod gratiæ expectatiuæ ecclesijs grauamen inferant; promissionem item, ac veluti pactionem de futura successione contineant, cuiusmodi pactione indecens censetur, c. 2. & 3. de con-cess. præb. cap. 2. eod. tit. in 6. Quamobrem Concil. Trident. sess. 24. c. 19. gratias expe-ctatiuas, seu mandata de prouidendo omnino sublata esse voluit; prout etiam supra dixi.

CAPITVLVM XL.

Abbatem.

PARAPHRASIS.

Pontifex scripsit pro Sebastiano clerico ad Abbatem S. Proculi, vt illi in aliqua ec-clesijs sui Monasterij beneficium prouideret: postea alias literas idem Pon-tifex dedit ad diocesanum Episcopum, quibus mandauit, vt in Diocesi sua, si pro alio scriptum non esset, faceret prouideri clerico Vdalrico. Hunc Episcopus ius-sit institui in ecclesia ad Monasterium Abbatis pertinente; sed Abbas coneradi-xit, quia ipse antea spirituale mandatum acceperat, vt Sebastiano prouideret. In hoc casu Respondet Gregor. IX. excep-tionem Abbatis iustam esse; cum Pon-tifex non soleat eundem collatorem pluri-bus eiusmodi mandatis grauare.

SUMMARIVM.

1. Mandatum generale non derogat spe-ciali, præsertim prius impetrato.
2. Collatio beneficiorum ordinario iure pertinet ad Episcopum; speciali tamen consuetudinis siue privilegij aliquando ad inferiorem, v.g. Abbatem, Capitulum, &c.

NOTANDVM I. Mandatum generale non derogat mandato speciali, præser-tim prius impetrato. Ita sumitur ex hoc c.